

Nf. 61.





[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



P A R E N T A T I O

H A B I T A

I N

ILLVSTRI SCHOLA

BREGENSI, POSTRIDIE EXE-
QUIARVM, QVIBVS AVGVSTA FVNERATIONE
Iusta fiebant Illustris. & opt. Principi, DN.

GEORGIO II. Duci Lignicij & Bregæ :

nocte diem 8. Maij præcedente, intra horam XI.

& XI. Anno ætatis Climacterico maximo LXIII.

vita piè defuncto; Cuius anima sit in manu

DOMINI, memoria verò in
benedictione.

Adiunctis eidem nuncupatis

CARMINIBVS.

M. D.



LXXXVI. *¢*

ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS
IOACHIMO FRIDERICO,
ET
IOANNI GEORGIO,
FF. DVCIBVS LIGNICIIS
ET BREGENSIBVS:
DDNN. clementiss.

DR A. D.

10



I.
ILLVSTRIS-
SIMI PRIN-
CIPES, IOACHIME
FRIDERICE, & IOAN-
NES GEORGI, fratres
germani, Duces nostrates,

Domini clementissimi: duo Philosophorum
ostenta fuisse Laërtio referente accepimus,
Heraclitum Ephesium, & Democritum Ab-
deritam, natura & studijs dissimilimos, quorū
ille flendo, hic ridendo, quasi conventionē
facta, aut de palma certantes, ætatem exe-
gisse perhibentur. Mirum oppidò genus ho-
minum, & nescio risu magis an fletu dignū,
adeoq; mirum, ut gravissimis etiam scripto-
ribus dissentendi præbuerit occasione. ~~Ma-~~
Iacto enim hoc ceu Eridis pomo quæri cœ-
ptum est, utrum ex his, illum né flentem an
hunc ridentem imitari conveniret, qua de re
discrepantes fuere amibgentium opiniones.
Has Seneca author eximius, in eo quem
commentus est libello de tranquillitate vitæ,

A ij ita

ita pensitando ad trutinam exigit, ut in Democriti lancem inclinet, quam Iuvenalis Senecæ suffragator astipulatione sua ponderosiores facit. Cæterum etsi tantæ notæ Philosophis extra communem ingeniorum aleam positus, nihil de sua authoritate decerpo, nec partes mihi Criticas superciliosè ascisco: controversiam tamen hanc salva melioris iudicij censura nullam esse, & ambos simul culpandos, neutrum verò imitandum, affirmare haud quaquam erubescō. Est n. alius risui alius fletui locus, & uterq; sacris literis attestantib; tempus habet suum. Moderatior risus levitatem scurrilem gravitate coërcens, est ingenuæ hilaritatis dulce condimentum, naturam suaviter & iocundè afficiens. Fletus autem non Crocodili æmulus, nec is quem muliercularum vulgo exprobrat Poëta inquiens: Ut flerent oculos erudiere suos; nec malitia aut quoquam morbi genere elicitus, sed animi affectu non simulato profectus, mutux commiserationis index est, uterq; à DEO conditore homini inditus, ut significationem lætarum & tristium

stium rerum ostendat ac declaret. Verum-
 enimverò cùm humana omnia indifferen-
 ter læta & tristia non sint, quis aut. ploran-
 dum aut ridendum continuè censuerit, nisi
 DEO pariter & naturæ nefaria subsanna-
 tione illudens. Vtiq; natura hominem sic
 ad virtutem instituit, ut sua aliorumq; feli-
 citate lætetur, infelicitatem verò tam suam
 quàm aliorum doleat, quorum neutrum
 qui facit, & vel in lætis dolet, vel in tristibus
 lætatur, invidus & ἐπιχαριστικός ab omni hu-
 manitate alienus, hominisq; appellatione in-
 dignus, iure censeretur. Nequaquam igi-
 tur alterutri horum μηδὲν φιλοσόφῳ subscribi-
 mus, sed utrumq; τὰ ἑσκαμμένα transilien-
 tem, & quod dicitur in excessu peccantem
 pariter improbamus. Quicquid verò sit,
 illud omninò fatendum est, quòd nemo
 mortalium inficias iverit, eam esse rerum
 humanarum conditionem hoc immundo
 mundi seculo, quo videas omnia fatis in
 peius ruere, & retrò sublapso referri, ut
 flere quàm ridere præstet & conveniat.
 Hanc assertionem haud difficile foret Eccle-



fastici authoritate stabilire, qui capite 7.
 inquit: Satius est moerere quàm ridere. sed
 ubi rerum testimonia præstò sunt, verbis
 quid opus est? Quotus n. quisq; hominum
 est, qui si vel momentum hilaritatis adeptus
 sit, fortuna blandam advertente faciem, non
 contrà eadem vultum corrugante, acerbam
 multi temporis tristitiam experiatur, adeò ut
 non abs re Comicus ille Græcus dixerit: Mon-
 strum est homo perpetuò felix. Ex hoc tan-
 quam Oceano pro manarunt illæ divinis &
 humanis tibijs decantatæ querelæ, miserrimam
 humanarum rerum miseriam ubertim
 deplorantes, indeq; natæ sunt Ethnicorum
 illæ pervulgatæ Næniæ, & eæ tam exquisitæ,
 ut nec Apellem, aut quemcunq; eo excel-
 lentiore in lineis ducendis, atq; hos in
 calamitatibus humanis depingendis maio-
 rem operam posuisse, maioreq; conatu &
 industria elaborasse putem. Ex quo censu
 sunt græcæ illæ sententiæ, Latinis succentu-
 riatæ, τί δὲ τίς, τί δὲ οὐτίς; οὐκ ἄς ὄνας ἀνδρωποι. & illa
 Solonis apud Herodotum: πᾶσ' ἀνδρωπῶν συμφορὰ.
 Et rursus illa Euripidis in Alcestide, ὁ βίῳ
 ἀλιθῶς ὁυ βίῳ, ἀλλὰ συμφορὰ. itemq; Posidippi illa

siue Cratetis Cynici: *λωϊορ η̄ γενε̄οθω μ̄ηποτε, η̄ε θα-
 νε̄ρ αῡτικα τικτο̄μενορ* Sed mitto Stobæi hunc la-
 borem, mitto argumentum ita popolare, ut
 in eo vel infans disertus esse possit, mitto qui-
 rationes illas multiplices, quibus recensendis
 tempus me & spiritus deficiant, quarum libri
 omnes in trivio pleni sunt, plenæ historiæ,
 plena uniuersi orbis climata. Quid ergò?
 exempla scilicet requiris. utinam verò non
 suppeditet usus quotidiana, maiorem quàm
 unquam antea Heraclito illi, si etiamnum
 superstes esset, materiam ploratus & mœroris
 præbitura; utinam non sit nobis necesse
 nunc flere, utinam non lugere, utinam non
 discruciarī, animoq; angī sit necesse. Quid ni
 verò sit, quo tam est opus, quàm eo quo ma-
 ximè. Luxerunt olim Israëlitæ populus DEI,
 Aaronis, Mosis, Matatiæ, Iudæ Maccabæi,
 Iosia, aliorūq; Hierarchiæ & politiæ suæ præ-
 fectorum obitum. Rex & Propheta David
 focero Sauli & fratri Ionathano in prælio à
 Philistis interfectis cantico lugubri parētavit.
 Iosephus Ægypti Princeps defuncto patre suo
 sene sanctis. publicum luctum indixit, & pa-
 ternum funus exequijs honorificis decoravit.

Amissum Herculem Argonautæ Colchici lar-
go lacrymarum imbre profecuti sunt. Iusta
fecit oratione magnifica Atheniensibus, qui
in bello occubuerant, primus in Græcia Pe-
ricles, eoq; officio, ut Plutarchus in vita eius
meminit, coronam à mulieribus consecutus
est. P. Valerij Publicolæ *ἰάλεμον* in Bru-
tum plebs Romana benignis auribus audivit.
Metellus deniq; ille Numidius (ut exempla
mittam alia) P. Cornelio Scipione defuncto
populum hoc elogio ad societatem planctus
invitavit: Adeste ciues, lugete viri, columna
urbis concidit. Fecimus & nos proh dolor,
DEO peccatis nostris irato, & alternante ita
vices in imperijs, iacturam Principis, ut
omnia simul dicam Optimi, quem nec ipse
fletus fatis defleverit, cuiusq; obitus lacrymas
nobis ciet, non oculorum illas hypocriticas,
quibus nihil arefcit facilius, sed corde &
animo scaturientes, & vix ac ne vix quidem
longo seculorum tractu egerendas. Si un-
quam ergo fuit tempus dicendi cum Poëta,
iuvat indulgere dolori: hoc ipsum est; si
ulla lamentandi necessitas, hæc ipsa est, qua
Ducem

Ducem hunc nostrum eiulatu quamvis parum profecturo affatim deploremus, nihil hoc pacto vel à pietate, vel ab officio gratae animorum inductionis, vel ab exemplis tum gentilium tum Ecclesiae adscriptorum, nihil deniq; à proprietate bonorum virorum, qui secundum Poëtam sunt *ἀγιστάκτους*, alienum, ac non potiùs summoperè probandum facturi. Etenim ut nostrum hunc Ducem prædictis illis heroibus non æquiparem, nihilq; hyperbolicè ei tribuam, illud tamen vel ipsa crepante invidia, veritatis testimonio fultus citra hæsitationem affirmaverim, nihil fuisse in sanctis illis regibus & patribus summum, quod non in hoc Duce nostro fuerit mediocre; nihil in Ethnicis istis Semideis præstans & eximium, quod in hoc Principe non fuerit ornamentis insignibus superatum. Quod dum oratione mœsta & tempori congruente planum facere studeo, date mihi Principes Illustres hanc dicendi copiam, facite æquam laudandi potestatem, malis forsan exosam, bonis verò quibusq; expectatam, ac tanto impensius facite, quòd huius laudes vestrae;

B

huius

huius encomia vestra sunt; siquidem liberis gloriosius & honorificentius accidere nihil potest, quàm prolem dici parentis optimi, secundum illud Euripidis: ὄνκ ἔσι τῶδε πασι καλλίον γέρας, ἢ πατρὸς ἐοδλοῦ καγαθοῦ πεφυκένας. Cæteri autem omnium ordinum auditores, quod à vobis pro eo ac par est contendo, me Domino meo, Domino quondam clementi & benefico ἐράνιον προσφέροντα, benignè æquanimiterq; sustinete. Quicquid enim huic facio, invitus simul & lubens facio: Invitus quidem tum ob infantiam hanc meam laudibus tanti herois pro merito extollendis longè minorem, tum ob iudicij discrimen, quod obeundum mihi non ignoro: Lubens autem, quia pietas sic flagitet, honestas cogat, consuetudo hortetur. Pietatis est, laudabiles viros celebrando, D E V M omnis boni authorem prædicare: honestatis, vitia insectari, virtutem verò commendare, & proposito exemplo ad imitationem alios incitare: consuetudinis, memoriam defunctorum speciosa εὐφημία ab oblivione & interitu asserere ac vindicare. Cùm ergo lugeat obitum.

obitum Illustris mariti Illustris Ducissa (ut
gemit amisso miserandum compare turtur)
cùm orbitatem suam querantur Inclyti Du-
ces, charissimo patre priuati, cùm desiderent
parentem ereptum Illustres natæ, cùm in
squalore sit gener Illustris, cùm plangent
cognati Principes & patriæ primates, cùm
doleant subditi, cùm afficiantur exteri;
quid magis decuerit me, quàm in hoc pu-
blico luctu ex vnus interitu nobis creato,
aliquam *συνπαθείας* significationem, nec tam
meo quàm Scholæ nomine, debita subie-
ctionis humilitate reverenter declarare.
Etsi verò memoria inualetudine & curis
labefactata, ac tantùm non deperdita, nul-
lum suggerit excellentius præconium, quod
laudatissimo Duci nostro satis congruum
videatur, quàm idipsum quod olim Traiano
Senatus Romanus decrevit, ut optimus
Princeps vocaretur: quia tamen hac vna
appellatione velut scrinio teguntur omnia
quæ approbationem quamcunq; meren-
tur, liceat mihi quæso præcipuam lau-
dum *κερίδιαι* recludere, & in apricum
meri-

meridiani Solis lumen audientibus quasi in disco spectanda offerre. Primum itaq; locum vendicat sibi natalium authoritas, & antiquissimæ celeberrimæq; familiæ splendor. Quis verò nescit, Principes Lignicenses regum paterna, Cæsarum verò materna stirpe: illa inde usq; à Piaſto Polono, Popilij illius à muribus exesi successore, hac à Carolo Magno & S. Hedvvigis posteritate, prosapia augustissima oriundos esse? Quis nescit, Georgium hunc secundum, Friderico illo secundo Lignicensi & Bregensi, & Sophia Brandenburgica, parentibus, Principibus omni laude maioribus, ac omninò talibus prognatum esse, de quorum insigni virtute, nihil nisi quod admirationem fidemq; superet vestram, possim commemorare, & prognatum quidem fati humano generi propitijs, feliciq; siderum positu, die Arnolphi nomine insignita, quæ tùm fuit 18. Julij vertentis anni à salutifero partu 1523. Ex hac natalium mentione proclive fuerit de virtutibus nostri huius Ducis, longa auorum serie quasi per manus acceptis, divinare, easq;
maiorum

maiorum præstantia æstimare ac metiri, cùm
 ut Horatij verbis utar, fortes creentur forti-
 bus & bonis, non repugnante eo quod vulgò
 iactatur: ἡρώων τέκνα πύματα. Etsi n. generosi
 animorum impetus sint dona D E I, unde
 nullus unquam vir magnus extitit sine af-
 flatu divino, rectè tamen existimatur, eos in
 posteros non degeneres traduci ac propa-
 gari, quod pluribus tùm Platonis in Alci-
 biade, tùm Aristotelis in Politicis, nec non
 Euripidis in Heraclidis comprobationibus
 astruere non dubitarem, nisi locorum Græ-
 canicorum commemorationem tàm copio-
 sam, huic loco molestam & supervacaneam
 iudicarem. Porrò sicut auspicatò Mieslaus
 primus à Piaſto, Polonorum rex cœcus natus
 septimo demum ætatis anno lucem divinam
 aspicere cœpit, quo significatum fuit, opera
 huius Mieslai, Gnesnæ anno 965. Baptismi
 Christiani sacris initiati, irradiante mentibus
 humanis verbi cœlestis fulgore, Cymmerias
 gentilitiæ idolomaniæ tenebras expulsum
 iri, quemadmodum huic omini eventus
 præclarè respondit: ita nostri huius (sanctæ

B iij recorda-

recordationis) Ducis nativitas fuit adoptan-
 dæ in Ducatu Lignicensi religionis refor-
 matae minimè fallax augurium. Incidit n.
 in sequentem à nativitate ipsius annum ea
 religionis *καλιγγενεσία*, magno tùm hominum
 salutis suæ avidorum applausu excepta, sed
 quam ponè è vestigio subsecuta est hæresis
 Stenckfeldiana, gaudium illud renatae reli-
 gionis non aliter turbans, quàm liquidis im-
 missi fontibus apri; ut illud Poëtæ huc af-
 sumam. Est tamen hoc in præcipua felici-
 tatis & divinorum beneficiorum parte nu-
 merandum, quòd fidelissimorum Præcepto-
 rum, Doctoris Lembachij, Friderici à Kno-
 belsdorff, & Iohannis V Ventzky, gentilitia
 & literata nobilitate insignium, animadver-
 sione & vigilantia cautum est, ne Illustris:
 noster, & frater ipsius Fridericus III. uterq;
ἐν αὐτοῖς isto prauæ opinionis fascino demen-
 tarentur, perniciosæq; hæresi assensum præ-
 berent. Quocirca ipsorum umbris non præ-
 ter meritum optabimus tenuem sine pon-
 dere terram, spirantesq; crocos & in urna
 perpetuum ver. Infans dein Princeps noster
 accuratè,

accuratè, puer piè, adolescens liberaliter educatus est, & cum ætate prouecta ac linguæ Latinæ studio iudicij maturitatem afsecutus, in aula paterna deliberationibus gravibus adhibitus, gubernationis olim capiendæ tyrocinia deposuit; ducta postmodū anno Christi 1545. ipsis Liberalibus, die 15. Febr. in matrimoniū coniuge Illustrissima Barbara Marchionissa Brandenburgica, Iohanni II. Electoris filia, quæ eodē die Berlini ei nuptum elocata est, quo Illustrissimo Marchioni Iohanni Georgio, Electori Brandenburgico, quem honoris ergo nomino, Sophia nostri Ducis Georgij foror germana, Dux optima, quæ postquam filium Illustris: Marchionem Brandeb: Archiepiscopatus Magdeburg: administratorem enixa esset, non multo post vitæ temporalis spacium emensa, ad superos, DEO ita poscente, salvificæ fidei alis evolavit. Cum illa ergo quondam coniuge sua, quarto sibi cognationis gradu inæqualis lineæ iuncta, nunc relicta vidua Domina nostra clementissima, vixit maritus annos 41. & menses 3. eamq; reverenter coluit, ab ipsa vicissim reverenter cultus & observatus.

Fuit enim inter hos coniuges amor ardentis-
 simus, & par in liberos septem ex dulci &
 concordia coniugio susceptos, filios duos, &
 filias quinque, affectus; Ipsomet coniugi
 amantissimæ maritalem, liberis paternam
 fidem, Ipsa contra mutuam & his & illi
 utrinque integerrimè præstantibus. Voco in
 fidem superstites & præsentis Illustres filios,
 concordia coniugalis inter parentes, *ἔνσος γίαισ*
 verò erga sobolem, testes locupletissimos.
 Ac ne quid de illustris Ducissæ erga Illustrem
 maritum observantia vulgare prædicem,
 illud ut reticere facere nequeo, quòd cu-
 randæ valetudinis & levandarum molestiarum
 causa, maritum peregrinantem, exemplo
 Hypsicrateæ Mithridaticæ cupidè secuta, nec
 ab eius latere & complexu se avelli passa est;
 nuper etiam decumbenti perpetuò adfuerit,
 eumque genium suum defraudans sedulo cu-
 rarit, ipsomet Principe ante agonem præstitæ
 ipsi fidelitatis coniugalis luculentas gratias
 (mirum quàm reverenter, quàm amanter)
 agente; filiorum insuper alterum Dominum
 nostrum clementem, ad compensandam
 observan-

observantiæ studio hanc pietatem graviter
 exhortante. Nihil dico de liberorum soli-
 cita educatione, prorsus ad *ὁδοποιῶν κυρίου*, se-
 cundum illud Pauli præceptum, & imitatio-
 nem avitæ virtutis assuefactorum; nihil de
 eorundem felici elocatione, & concitata in
 animis hominum præclara expectatione;
 nihil de affinitate cum Illustrissimis familijs,
 Anhaltina, V Virtenbergensi, & Monsterber-
 gensi novum contracta, ne scilicet harum
ἐπίδοξον instituisse, aut palpatione quadam
 præsentis delinivisse dicar. Ad Ducem re-
 vertor nostrum, quanquam quid dico no-
 strum, qui iam noster esse desijt, & super-
 mundano beatorum Geniorum paradiso af-
 scriptus, civitateq; illa cœlesti donatus est.
 Inter animi dotes ipsi natura concessas, fuit
 non postrema memoriæ vivacitas, incompa-
 rabilis & penè incredibilis, nec mea opinio-
 ne dissimilis Cyri I. Persarum Regis, quem
 Xenophon quinto *ἑταίρων* ait, singulos mi-
 lites suis potuisse appellare nominibus. Fuit
 enim nostro Principi memoria potior omni-
 bus annalibus, quorum facies semel vidit,
 C quorum

quorum nomina audivit, quæ geri gestaq;
narrari attendit, in extremam usq; senectam
tenacissimè retinuit, & expedite recordari
potuit: Equos aliquot annis non visos ex
hinnitu, colore (cogita quàm vario) recog-
novit: deniq; memoriæ firmitate adeò ex-
celluit, ut nihil eum oblitum esse quod sci-
verit, credam ipse, & alijs intrepidè affir-
ment. Testantur id sermone eius familiares, & in-
primis illa ante agonem dictorum sacræ scri-
pturæ recitatio tam copiosa, ut qui ex sacro
ordine eum consolandi causa frequenta-
rent, nullum recitando ordirentur, quod is
non ex ore illorum præceptum continuan-
do finiret. Quantam verò, existimandum
est, fuisse in eo prudentiam usu ac tracta-
tione multiplicium negotiorum partam, in
quo tanta fuit vis memoriæ, quæ est rerum
auditarum & visarum custos & thesaurus.
Ad probitatem à parentibus cum lacte in-
stillatam, & eximias ingenij vires cultura vir-
tutis auctas & expolitas, contulit ei naturæ
benignitas singulare ornamentum, niueum
animi candorem, quem Suidas M. Antonino
tribuit,

tribuit, de quo scribit, fuisse eum similem sibi ipsi semper, & nihil in eo fuisse fictum, nihilq; simulatum. Erat in nostro hoc Duce natura fuci expers, & amans ingenuitatis, *σὺν καὶ σὺν καὶ ἡρώ*
σκαφῶ σκαφῶ λέγων, iracundiā & amicitia fronte promptam gerebat, iudicabatq; apertè odisse magis esse ingenuum, quàm fronte occultare sententiā; unde hoc sibi accidisse sæpè numero querebatur, ut quos ex suo ingenio candidos iudicasset, rē prolata nigerrimos & infidelissimos se cognovisse non diffiteretur. Cum multis prætereà ipsi necessitudo erat, sed cum nemine de facie ignotorū arctior, ac potentissimo Daniæ Rege, antidoris crebris & literarum com meatu solidissimè confirmata. Serenissimum Poloniæ regem ita sibi conciliaverat, ut generosus & magnificus Dominus Andreas Opalinski, supremus regis Poloniæ Marecallus, datis ad Illustrissimos nostros nuperrimè literis, studium id bonæ ut loquitur vicinitatis, compactata (ut vocant) illa inter Poloniā & Silesiam Sigismundi I. ætate nostri huius Ducis intervētū deliberata, magis magisq; stabiliētis, satis nequeat prædicare. In conversa: cū præsentib; suum cuiq; tribuebat,

& inferiores quoq; plus quàm clementer & benevolè complectebatur, ac propterea non in minori pretio erat, quàm Titus ille Suetonio teste, quem delicias mundi appellatum esse constat. Administrandæ iustitiæ ad eò obstinatè incumbibat, ut eum ab hoc studio nulla cuiuscunq; generis voluptas abstraheret, nulla quantacunq; molestia deterret. Reperias profectò permultos, qui suis capti nescio quibus delitijs, eam diligentiam se indignam putaturi essent, & alijs curatoribus commissuri, quæ hic quondam Illustrissimus noster Princeps sibi absq; tædio cognoscenda, audienda, perpendenda & iudicanda putavit. Non inventus est quisquam, quem ad fores præstolantem ab actum aut obiurgatione repulsum, aut non clementissimè auditum constet: responsum est omnibus benignè, præstitum quod debuit ac potuit promptè, iniuria consultò facta est nemini, venia collata etiam indignis. Non dico nihil esse ab eo unquam admis- sum, quod non aut errore consilij, aut casu, aut necessitate excusari possit. Qui n. hoc
neget,

neget, hominem eum neget oportet, ac se nescire fateatur, tria esse difficilima opera, dicentis, parturientis, & imperantis; in quibus immunitatem peccandi flagitare, est hominem humanæ conditionis eximere, & in Deum quendam Stoicum transformare. Ut ut ergo aliquid humani passus sit, boni tamen Principis titulo spoliare eum ausit nemo, nemo, inquam, nisi boni Principis definitionem nondum in trivio edoctus, quam Philippus ille noster Christianus Germaniæ phoenix his conceptam verbis edidit: Bonus Princeps est, qui habet *πρῶταίως* rectè faciendi, & plerumq; , & in præcipuis partibus officij sui rectè facit, etiamsi aliquando labitur. Hac forma definiendi in hac vita utendum est de omnibus gubernatoribus & ministris, in quocunq; genere officij. Et sumitur prima pars definitionis ex dicto Pauli: Hoc requiritur fideles ut simus; secunda pars ex dicto Salomonis: Non est iustus in terra, qui benè faciens etiam non peccet. Hac definitione si quis Illustrissimum nostrū privaverit, ipsum ego boni hominis titulo privan-

C iij dum

dum esse, omniūq; odio dignissimum statuo. Cæterum cognitione causarum, quæ ad tribunal ipsius pertingebant, etsi inferioribus magistratibus partes iudicandi deberentur, adeò improbam dabat operam, ut interdium cibo, noctu somno se defraudaret; atq; ad deliberationes, quibus nullum finem statuebat, quousq; protraherentur, sobrietatem afferebat, ad easq; summo manè accingebatur, prodigus quietis necessariae & stertentibus inimicus, adeoq; exemplū illius virtutis, quā in gubernatore requirunt hi versus Homericī:
 οὐ γὰρ παννύχιον εὐδερ βασιφύρορ ἄνδρα, ἔλαοι τ' ἐπιτε
 τράφετα, καὶ τόσα μέμηλε. In poenis irrogandis & vindicta exercenda, rigorem iuris ἐπιεικείας multo temperabat, & in eum si quenquam alium competebat, quod C. Iulio Cæsari Cicero in oratione pro rege Deiotaro tribuit, cū inquit: Cū facile exorari Cæsar, tūm semel exorari soles, nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te similitatis reliquias senserit. In dicendo vituperandoq; parū accuratam, quos offenderet, rationem habere solebat, tantundem eorum
 offensas

offensas curans, quantum in convivio contra se dicta Pyrrhus Epirotarum rex, sibiq; conscientiae & voluntatis integritatem sufficere animosè iactabat. De meritis, vultis, dicam; at unde ordiar? ubi desinam? quæ oratio huic argumento apta, quod tempus sufficiens fuerit? Dicat ergo pro me Ecclesia, dicat Schola hæc Illustris, dicat Patria tota; Huius consilij & auxiliij instauratæ, auctæ, ornatae, & servatæ: Interrogentur Imperatores, consulatur provincia, fateatur ordo equestris, respondeant urbes, audiantur deniq; omnes, quorum immortalem gratitudinem sibi publicis & privatis officijs beneficijsq; obstrinxit. De singulis tamen nonnihil dicendum est. Ecclesiarum dic sodes livor, quis eo fuit nutritor magis beneficus, quis de fancienda docentium concordia magis sollicitus? religionis cui à puero assueverat assertor & vindex quis acrior? disciplinae Ecclesiasticæ quis custos vigilantior? nostis id qui ad clauum gubernandæ navis dominicæ sedetis, nostis ministri Ecclesiarum, nemine excepto, omnes. Ad vos n. nunc provoco, ad quos aliquot ipse

non ita pridem lecto affixus provocare, deq;
 sua erga ordinem vestrum voluntate optima
 argumentis illustribus abundè perspecta,
 contestari non dubitavit. De certaminibus
 & controversijs præsertim Eucharisticis, id
 statuit Illustrissimus noster, tum voce tum
 epistolis decisivis, quod pro modulo divini-
 tûs concessæ gratiæ pietati conforme, & de
 iudicijs θεολογόντων, tam ex sua, quàm ex vicinis
 diœcesibus conquisitorum, orthodoxum,
 & sacrae scripturæ consentaneum comperie-
 bat. Cùm n. certamina cane peius & angue
 odisset & execraretur, quippe cui bellis Theo-
 logicis, quibus nihil exardescit faciliùs, nihil
 deflagrat tardiùs, non posset quicquam mo-
 lestius esse, alios in iudicium adhibere sole-
 bat, eorumq; quos saniores iudicabat sen-
 tentijs acquiescebat, non articulos fidei con-
 dens, nec dogmata Ecclesiæ obtrudens, sed
 modum dissidijs statuens ea sanè ratione,
 quam ijs probari animadvertit, quorum cu-
 stodiæ suam ipsius animæ salutem credidisset.
 Proinde sicut aliorû errorum, quos huic
 Ducatui affricare nollet, ita ubi quitatem,
 aliaq;

aliaq; id genus portentosa dogmata piæ & eruditæ vetustati ignota, suæ ditionis terminis longè lateq; proscripsit, de reliquis silentium imperavit, & curiositate disputationū severissimè interdixit. Cæteroquin etsi cum orthodoxis Symbolis & Augustana confessione, Catecheticam D. Lutheri & corporis Philippici doctrinam, tam Ecclesijs quàm Scholis suis unicè vellet commendatam, ut esset qua professione ab omnibus sectis abiungerentur, tamen normam fidei unicam purumq; DEI verbum priore loco & numero habebat, faciens videlicet cum S. Augustino, cuius hæc sunt ex sacro tripode pronunciata verba: Quicquid extra scripturas traditur, si noxium sit, in eis damnatur, si utile, in iisdem invenitur. Dicerem in hanc sententiam plura, nisi actum agere, & anser olori obstrepere iudicaret. Quocirca auditorium universum ad concionem heri ex cortina sacra habitam brevitatis studio remitto. Id solum coronidis loco quin addam facere nequeo, tantam fuisse clementiæ Illustris erga sacri verbi præcones abundantiam, cum pari

D obser.

observantia coniunctam, ut etiam indigniusculos benignè foverit & ornârit; & de quorundam (modò non essent flagitiosè facinorosi) autoritate turpibus inscitiae aut licentioris vitae notis prostituta, non segniùs ac de propria existimatione tuenda laboravit, plus nimirum tribuens piæ erga sacrosanctum hunc ordinem affectioni, quàm alienæ seu dignitati seu indignitati: O præstabilem pietatem, ô memorandam clementiam. Itc ergò qui beneficij huius vobis conscij estis, & propensionem hanc plenis buccis prædicare, æternamq; eius memoriam ad posteros propagatam immortalitati consecrate. Ecclesiarum seminaria & *φυλοσόφαια* sunt Scholæ rectè constitutæ, in quibus iuventus literaria de essentia & voluntate Divina verbo cœlesti patefacta, de persona & officio Mediatoris, beneficijs eius, eorundemq; salutari usu & applicatione eruditur, & in veræ pietatis & cultus divini exercitijs informatur, artibus & linguis, amplificandæ gloriæ divinæ, & Rerumpublicarum saluti, generisq; humani emolumento servientibus, aptè instituitur.

Ex his.

Ex his in Ducatu nostro illustris hæc Schola præcipua est, quam, ut ingressus loquitur, Illustrissimus & omni laude pietatis & virtutis erga DEVM & homines præstantissimus Princeps ac Dominus, Dominus GEORGIUS Secundus, verè populo suo secundus, atq; pater patriæ Silesiæ, Lignicensis & Bregensis Dux, ut veræ doctrinæ de DEO Patre, & Filio ipsius, Domino nostro IESV Christo, ac Spiritu Sancto, iuxta Prophetica & Apostolica scripta, orthodoxæ Ecclesiæ Symbola, & potentissimo Cæsari Carolo V. Augustæ exhibitam confessionem, atq; eruditæ Philosophiæ & virtutum omnium domicilium sit, gloriæ DEI utili & posteritati salutari consilio, augustaq; liberalitate, ac DEI inprimis propitij nobis propter Filium beneficio, ædificavit atq; erexit, anno Christi benefici salvatoris nostri 1564. Non dubitaverim autem, fundatorem Illustris huius Gymnasij CAROLI IV. Imperatoris laudatissimi exemplum sibi imitandum proposuisse, Qui, ut cum scriptore annalium Silesiæ loquar, studia pietatis & doctrinarum ita
D ij dilexit,

dilexit, ut in recenti Academia Pragensi sæpè publicis disputationibus usq; ad multum diem soleret assidere, ibi sciscitari & audire Doctorum sententias de varijs controversijs, admonitus ut in arcem ad prandium ascenderet respondit: se magis isto dulci cibo animæ quàm ullis escarum delitijs delectari. Eadem hic noster heros affectione fuit erga illustrem hunc ludum suis auspicijs & maximam partem impensis apertum, & à primo extructionis tempore, inter varias & periculosas mutationes conservatum. Quoties discipuli mei Illustrissimum Principem, cum Illustrium filiorum, Principum & Dominorum huc appellentium comitatu, hîc vidistis præsentem; quoties audivistis monentem de vobis vestroq; profectu, modestia & immodestia sciscitantem, iudicia fori Scholastici sua præsentia honorantem, actionibus Comicis & Tragicis gaudentem; deniq; non aliter vos, quod cùm alia, tum communis illa mensa eiusdem liberalitate strata, testabuntur, ac si omnes ex eo nati essetis, complectentem? Quid ab eo pertinens ad vestram
 utili-

utilitatem petatum est, quod non fuerit impetratum? quid illustri huic Scholæ incommodare visum est, quod non ab eodem diligenter fuerit amandatum? Non mentiar, si supersticiosam fuisse ipsius de illustri hac Schola sollicitudinem dicam, atq; adeò quidem improbam, ut eam sint admirati permulti, demirati satis nulli. De qua ut meam semel exponam sententiam, ita eam accipi velim. Hæc Illustris Schola Epitaphium est, quod suæ Illustrissimus Dux propagandæ ad posteror memoria causa erectum, religiosæ pietatis, optimarum artium & linguarum exercitio, nunquam satis laudata animi devotione consecravit. Hinc ergo Celsitudini ipsius immortalitatem non secus polliceri possum, ac Alexander Achilli ex poëmate Homeri. Sicut n. Ilias Homericæ præstitit, ut memoria Achillis defuncti ad omnem posteritatem diutissimè salva & superstes sit: Sic hæc illustris Schola non patietur Illustrissimi Principis memoriam emori & extinguï. Quod igitur Alexandrum illum Magnum dixisse accepimus, cum ad sepulchrū Achillis

D iij in Sigæo

in Sigæo promontorio Troiæ appulisset:
 O fortunate Princeps, qui tuæ virtutis Ho-
 merum præconem inveneris; id nos Alexan-
 dri illius verba leviter immutantes, de illu-
 stris huius Scholæ conditore condignè pos-
 sumus perhibere: O fortunate Princeps, qui
 hunc ludum illustrem tuæ virtutis præco-
 nem inveneris. Cur n. tibi sic non gratuler,
 cùm gratulatione hac longè dignior sis,
 quàm Alexandro Achilles visus est, cumq;
 in illo gentili bellatore præter fortitudinem,
 sæpè etiam insigni facinore, ut raptu Brisei-
 dis filiaæ sacerdotalis contaminatam, nihil
 admodum commendabile fuerit; in te verò
 non solùm fortitudinis bellicæ & togatæ in-
 dicia fuerint conspicua, sed ea insuper fulse-
 rint ornamenta, quæ in Ethnico isto milite,
 veri DEI suæq; salutis ignaro, non sine com-
 miseratione, requiras. Sepulchra olim, re-
 ferente Philostrato in vita Apollonij, invio-
 labilia erant eam ob causam, quòd plerumq;
 thesauri in ijs ut locis tutissimis conderen-
 tur: Ita augustissimum hoc Epitaphium, hoc
 illustre Sacrarium inviolabile putandum est,
 quòd

quòd in eo thesauri pretiosissimi repositi sint; orthodoxa religio, linguarum & artium DEO honorificarum & humanæ vitæ salutarium professio, morum deniq; ad civilem vitæ societatem apta institutio. Quare religio putanda est, hoc famæ illustris monumentum obtrectando polluere, & apris Calydonijs devastandum præbere. Ex rescriptis divorum Imperatorum accepimus, violantes res religiosas crimine læsæ religionis teneri, atq; ut sacrilegos puniendos esse; quod cùm iura sanciant in rerum sacrarū corruptores, advigilandum scilicet nobis erit, qui custodes sumus huius Illustris Epitaphij, ne qua labe ei cuiusquam hominis culpa inferatur deploranda, sepultoq; conditori ignominiosa. Ad vos autem Illustrissimi Principes, paternarum virtutum hæredes, inprimis pertinet cura conservandi huius Illustris Epitaphij, vos (quod facitis) paternis insistentes vestigijs, paternæq; liberalitati nihil cessuri, hanc cogitationem antiquissimam statuetis, Scholam conservandam, tegendam & ornandam suscipietis, quod peterem meherculè & flagitarem obnixè, nisi de voluntate

vestra, hoc etiam accessu vestro declarata,
 certo nobis certius constaret, ac nisi persua-
 sissimum mihi haberem, id quod peto, iam
 pridem à vobis, auctoritatem mandati divini,
 ultimam domini vestri Parentis voluntatem,
 & expectationem illam quam vultis de vobis
 concipi eximiam, nullo negotio impetrasse.
 In vestram igitur Domini clementissimi tu-
 telam, protectionē & curam trado illustrem
 Scholam, supra biennium mea ope, veriùs
 autem præsentia, inspectione & auctoritate
 beatissimi Ducis, domini Parentis vestri,
 Athlantis quondam nostri & ἐργαστήριον του con-
 servatam. Præstò est ædificium splendore
 suo multis exosum, & usui habitantium ac-
 commodum, suppetunt abundè sumptus
 docentibus numerandi, prospectum est illu-
 stri Scholæ (me unicum excipio) de collegis
 Theologiæ, Iurisprudentiæ, linguarum &
 artium eximia cognitione instructissimis;
 fervent operæ scholasticæ in his alveolis, mel-
 lificium DEO gratum, sancta dicendo &
 faciendo, exercentes. Id solum superest, ut
 vos docentium ac discipulorum Meccæmates
 benignos,

benignos, Scholæ conservatores, ordinis nostri adversus invidos defensores profiteamini fore, quod Schola à vobis tacito silentio expectat, mea voce Celsitudini vestræ observantiam, cum morigeratione & cura graviter faciendi officij coniunctam, submissè deferens. Ad votum hoc & desiderium nostrum, impellimur quorundam rumoribus mendacissimis, augurantium Scholam Illustram, extincto conditore Illustri, ipsam quoq; extinctum iri, qui tamen vestra Illustrissimi Principes auctoritate, vestra interpellatione & publico contrarij facti documento facilè refutabuntur. Non igitur tantum non metuenda ab interitu Principis Scholæ *παυλοθερία*, sed accessio potius speranda & expectanda. Hanc quamvis difficilem curam Scholæ conservandæ imitatio exempli paterni vobis Illustrissimi Duces reddet leviolem & tolerabiliorem, de quo meum non est Celsitudinem vestram monere, facturam me tacente, quod in rem & dignitatem Scholæ cessurum providebit. Cogito quidem iudiciorum perversam iniquitatem

E

adeò

adeò Sycophantico hoc seculo familiarem,
 ut omnes vitæ status multiplici clade velut
 diluvio inundet: cogito tritum illud & Phi-
 lippo nostro usitatum, de Aquilæ & Cygni
 dissidio, & metuo ut desint qui alterius oculi
 iacturam promptè facturi sunt, dum modò
 nos utroq; spolient, & fundos nostros invi-
 diæ suæ falce demetiantur, obtrectatores in-
 telligo malevolos, non tàm novercis suis
 quàm Musis nostris iniquos; Sed ad eorum
 voces, tanquam Syrenum cantus, Vlyssis cera
 aures obstruetis, & vel ideò arcebitis à vobis,
 quòd blandæ utilitatis prætextu insignem
 Rebuspublicis cladem importent. Secun-
 dum Ecclesias & Scholas piè constitutas
 benigneq; conservatas, Patria tota quid de-
 beat beatæ mentionis Optimo Principi,
 mène rogitas? se ipsam respondeo totam,
 aut certè tantum quantum soboles genuino
 parenti: cùm quidem secundum illud Xeno-
 phontis, bonus Princeps nihil differat à bo-
 no patre. Nam annos 39. ditionem suam
 tranquilla gubernatione, citra armorum
 strepitum, legibus æquissimis administravit,
 exemplum

exemplum capiens ab HENRICO illo Bar-
 bato, totius Silesiæ domino, Marchione
 Lufatiæ, Ethnarcha Poloniæ, marito Diuæ
 HEDVVIGIS in Cœnobio, quod ipsa condi-
 dit, Trebnicensi sepultæ, qui Cracoviensem
 Rempublicam legibus iustissimis adornatam
 reliquit. Toti porrò Silesiæ noster hic ^{δικισις}
 pacem consilijs & amicitia cum vicinis
 Regibus & regulis præstitit diuturnam,
 cuius obitum, absit ut irruptio quædam
 barbarorum hostium, aut alia insignis
 calamitas consequatur, qualem è medio
 sublatis Principibus consequi solere, Pau-
 sanias Cleombroto rege Spartanorum ob-
 truncato dixit, & fides historica compro-
 bavit; ac Germaniam nostram multipli-
 citer, Italiam irruptio Hunnorum Duce
 Attila, Vandalorum Duce Genferico post
 mortem Theodosij II, docuit & convicit.
 A bello abesse maluit Princeps noster,
 iniquissimam pacem iustissimo bello ante-
 ponens. Nam revera Pax optima rerum,
 quas homini novisse datum est, pax una
 triumphis innumeris potior. Belli osor

E ij Cræsus,

Crœsus, apud Herodotum libro 1. inquit: Nemo ita amens est, ut bellum quàm pacem præoptet: nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt. Archidamus superior rex Spartanorum, cùm fecisset impressionem in agrum Atticum, eumq; ferro & igne vastaret, iuventus Attica cupiditate pugnandi ardebat, quam Pericles hoc sermone retudit, indicans cœsas arbores celeriter renasci, homines autem interfectos non facile reparari posse. Pacis ergò fuit amantissimus Princeps noster, & eam consilij adversus hostes, humanitate adversus inimicos studuit tueri. Bello tamen anno 66. contra Turcam, Christiani nominis hostem professum, Pannoniam Germaniæ vestibulum populantem, suscepto interfuit, & Divo se MAXIMILIANO, ducens exercitum copiarum Lusatiæ & Silesiæ, socium militiae strenuum præbuit, ac tam apud Imperatorem ipsum, quàm reliquos belli Duces, gratiam vigilantia solertiaq; longè maximam iniit, ita prorsus animatus, ut exemplo HENRICI Pij Silesiæ, Lusatiæ, & maioris
Poloniæ

Poloniæ Principis, qui contra Tartaros pro
 aris & focis pugnans, anno 1241. gloriose
 occubuit, solennibus exequijs Vratislaviam
 (ubi olim Monasterium ad S. Claram con-
 siderat) delatus, & in æde D. Iacobi hu-
 matus est; huius inquam exemplo non fue-
 rit recusaturus pulchram pacisci per vulnera
 mortem, & secundum Alphonsi illud, pro
 lege & pro grege oppetere, nisi DEVS eum
 his regionibus piè & salutariter gubernandis
 superstitem diutiùs præstare voluisset. Inde
 igitur nomen insigne consecutus successu
 temporis, sicut in ludo hoc Scholasticum,
 Bibliothecam scilicet, ita in oppido militare
 armamentarium, instruere cœpit; Et supe-
 rioribus annis ab omnibus Silesiæ ordinibus
 supremus patriæ defensor, & si fors require-
 ret, militiæ subitanæ designatus est capi-
 taneus. Cum aliquibus, à quibus etiam re-
 ligionis professione disiungeretur, eodem
 tamen curru vehi, eos ad se officiose invi-
 tare, obsequio & amicitia tum sibi tum toti
 Silesiæ devincire non abnuvit, nihil etiam
 hoc pacto reliquum faciens, ad omnes
 E iij publicæ

publicæ quietis rationes, inviolata religionis
 & conscientiaë sanctimonia, incundas. Hinc
 adeò factum est, ut Principi huic sine moro-
 sitate parerent subditi, colerent eum obser-
 vanter vicini, amarent deniq; boni, soli
 occultè odissent mali. Nec verò tantùm
 communis tranquillitatis cura cõmune fuit
 patriæ beneficium, sed consiliorum etiam,
 intercessionum, & operarum liberalis com-
 municatio. Fuit hætenus, (dico sine auxesi)
 GEORGII Ducis Bregensis aula totius Silesiæ
 curia, & consiliorum promptuarium. Cedo
 n. quid in Comitijis provincialibus decretum
 est, quod in salutem patriæ cesserit, quod
 non huius auspicijs sit vel patefactum vel
 obtentum? Quæ gravamina à penatibus
 nostris propulsata, nisi ipso reverendam suam
 caniciem & parrhisian in medio statuente?
 Quot, quantæq; lites regundorum finium,
 salvandæ famæ, asserendarum fortunarum,
 ab ipso delecto arbitro sunt diremptæ? Quot
 urbes propter religionem impetitæ, huius
 sunt intercessione sublevatæ? Quot profe-
 ctiones Reipublicæ causa susceptæ, & magno
 cum

cum virium & sumptuum impendio exanthlatae? Quot, quibusvè commodis tota natio Silesiaca est affecta, cui hic Princeps, nescio an non interdum suo cum damno, fidelissimè servivit? adeò ut Numismatis illius inscriptionem rectè sibi usurpare potuerit: Alijs inserviando consumor. Privatim verò suis subditis tantum commodavit, quantum vix antecessorum ullus. Nam DEI beneficio reliquit Illustribus hæredibus regionem suam ita ædificijs, arcibus, præsidijs, & commoditatibus ad vitam, exultam, auctam, ornatam & amplificatam, ut veterem Ducatum agnoscas difficilè, novum satis demirari nequeas. Per similis n. fuit Lucullo isti, quem Plutarchus scribit se oblectasse structuris magnificis ædium, hortorum, piscosorum lacuum, balnearum, deambulatoriorum, & similibus. Sed hinc intelligo aliquos Thomæ Mori illud, σώματα πολλά τρέφει, καὶ σώματα πολλὰ ἀναγείρει, occinere. Itá ne? heus tu quis meq; teq; constituit alieni debiti censorem? cui hoc, quod digito intendis, fraudi fuit unquam; quot

quot quibusq; verò magno fuit quæstui & commodo? quid conflatum est æris, quod non sit cum fœnore solutum, aut possit etiamnum sine cuiusquam clade exolvi? Valeat ergò & faceffat curiositas, cohibeat obtrectationem meritorum nullo ære æstimandorum consideratio & respectus. Quid igitur tandem reliquum est, ad perfectam laudis commendationem? id nempè, quod Arimnestus Suida referente ab amicis interrogatus respondit; inter maxima hominis bona numerandum esse, benè & honestè mori. Hanc idem quoq; felicitatem felicissimè consecutus est. Nam ut Libitinæ eius inscriptio habet: Hic Divus GEORGIVS II, Regia Cæsareaq; stirpe oriundus, FRIDERICI illius II. Lignicensis & Bregensis, Optimi Ducis optimus filius, heros magnanimus, Princeps re ac nomine Illustris, avitarum laudum æmulus, familiæ totius splendor, paternarum virtutum hæres: Imperatoribus, Regibus Bohemiæ, pluribusq; Germaniæ proceribus cognatus & affinis; multis ex Regum, Baronum, Magnatum,

tum, & equestri ordine cum primis charus,
 Silesiæ ocellus, beneficum patriæ fidus,
 religionis orthodoxæ asylum, Ecclesiarum
 nutritor, Scholarum auspex, Rerumpubli-
 carum instaurator, afflictorum portus, sup-
 plicum opitulatur, dominator pacificus,
 publicè privatimq; de multis præclarè me-
 ritus, ditionis suæ cultor & amplificator
 augustus, erga vicinos officiosè amicus, or-
 dinis ubicunq; assertor accuratus, custos
 disciplinæ vigilans, linguæ Latinæ probè
 peritus, memoria vivax, in consilijs pru-
 dens, in responsis cautus, in armis fortis,
 in imperijs æquus, in transactionibus felix,
 in reprehensionibus ingenuus, in conversa-
 tione cum paribus comis & humanus, in
 pœnis clemens, ad ignoscendum facilis, ad
 iuvandum promptus, ad curandum solici-
 tus, ad largiendum benignus, ad expedien-
 dum strenuus, bonis deniq; omnibus multis
 nominibus unicè dilectus; annum agens
 vitæ suæ Climactericum maximum 63. nocte
 VIII. Maij præcedente, intra horam XI. &
 XII. rebus humanis placida morte exem-
 ptus est,

F

ptus est,

ptus est, ac diem naturæ debito destinatum obiit, postquam non diu ex Catarrho infesto & doctissimorum in Silesia Medicorum arte incurabili, graviter decubisset. Fuerunt sermones eius toto morbi tempore pij, & Spiritus sancti instinctu dictati, circumstantes de præstanda in cuiusq; munere fidelitate & probitate commonefacientis. Vnicum multis votis sed frustra optavit, ut cum filio natu maximo, cæterisq; filiabus absentibus, ei sermones communicare, & vivas audire & reddere voces, illisq; oculos sibi morienti claudere liceret; quod idem Heroïnâ illam Euripideam in Phœnissis præcipuè in optatis habuisse scimus. Etsi autem hoc beneficio destitueretur; tamen istic sibi eos revisum iri pollicitus est, maiore cum gaudio, quàm Ioseph post 22. annorum intervallum, charissimū uterinum Benjamin, & Iacobum senem parentem, ac cæteros fratres, lacrymans complexus est. Preces quibus se animamq; suam ergastulo afflicti corporis, tanquam compage & carcere liberandam, Christo filio DEI, servatori suo, commen-

commendavit, fuerunt assiduæ, & cum tanta fiducia erga DEVM conditorem *πληροφορία* coniunctæ, ut cum alter ex Symmystis forte eum hortaretur ad constantiam fidei retinendam, & coronam vitæ, quæ sit æterna salus, sine dubitatione demerendam, interpellaret eum stomachabundus; Eho, num videor vobis dubitare de salute mea, de qua qui possum esse certior? Sciebat nimirum non esse aliud nomen hominibus datum, in quo saluos fieri oporteat, nisi ipsius IESV CHRISTI, unici inter DEVM & homines *μεσίτου*, sciebat in hoc unico salutem esse omnibus, viva fide eam apprehendentibus promissam; sciebat sibi eam salutari usu Sacramentorum multoties esse ob- signatam; sciebat deniq; nihil moratus peccata sua sanguine Filij DEI ablota, fuisse se utile organon Spiritus sancti, seq; in novissimo die propter Spiritum DEI in se habitantem, & de salute sua certificantem, ad æternam vitam resuscitatum iri. Has preces & confessiones

F ij etfi

etsi Paroxyfmi recurrentes subindè inter-
 rumperent, tamen inter eas divinitùs susten-
 tabatur, donec enervatis viribus, & Christo
 animam reposcente, ut piè vixerat, ita piè
 decederet & expiraret. Eius exuviæ hesterna
 die augusta funeratione sepultæ, & duplici
 sandapila lignea stanneaq; involutæ, ac in
 cryptam depositæ sunt, ibidem expectantes
 resurrectionem mortuorum & vitam ven-
 turi seculi. Anima autem eius in fasciculum
 beatorum colligata, ac in sinum Abrahamæ
 deportata, fruitur conspectu DEI, & totius
 Ecclesiæ cœlestis consuetudine, & læticia
 nullis auribus audita, nullis dùm mentibus
 cognita, delectatur etiam Imperatorum &
 maiorum suorum læto consortio, ac procul-
 dubio subsecuturos coniugem & liberos
 avidissimè expectat, æternæ illis beatitudinis
 sociam participationem exoptans. Com-
 probasti ergò tu quoq; Optime Princeps
 veritatem oraculi divini, Psal: 81. proditi:
 Dixi ego, Dij estis & filij altissimi omnes,
 vos autem ut homines moriemini, & ut
 unus Principum cadetis. Fuiisti tu quoq;
 Deus

Deus & filius altissimi, fuisti unctus Domini, fuisti mons altus, fuisti scutum terræ nostræ, arbor procera & umbratilis, paxillus fortis; quibus Epithetis fideles Magistratus passim in scriptura insigniuntur. At idem ut homo mortuus es, ut unus Principum concidisti; Et nos Optimo Duce orbi sumus, cuius pia & provida cura, & simul ardentibus ad DEVM precibus multæ calamitates publicæ leniri potuissent. Quid igitur reliquum nobis est, quàm ut freti divina promissione, speremus non relicturum nos DEVM orphanos; & in hoc Illustris funeris exemplo fugacitatem vitæ nostræ intueamur, causas morborum, & mortis, quæ sceptris ligonibus æquat, expendamus, & in hoc terrore verè Panico, nos meditatione beneficiorum Filij DEI, & spe resuscitationis corporum nostrorum ac vitæ æternæ erigamus, grati etiam pietatis & virtutum Optimi Principis memoriam conservemus & prædicemus. Nec n. hoc tantum sanctissimis eius Manibus debetur, ut pullas vestes gestemus, quibus aliqui etiam superbire solent,

F iij coronis

coronis abſtineamus, id quod Livio refe-
 rente ſanxerunt Romani, ſtatuentes exem-
 plum in eo, qui belli tempore coronatus
 de fenestra proſpexiſſet; capillos tondea-
 mus, quod Ezechielis ætate uſitatum, noſtra
 mutatum eſt; voces deniq; præficarum ſi-
 mulemus: ſed potiùs quod noſtra noſtræq;
 ſalutis intereſt, DEVM ſeria vitæ emenda-
 tione placemus, ac fiducia Mediatoris ore-
 mus, ut ipſe, qui ſalutem dat Regibus, qui
 transfert & conſtituit regna, Viduam Illu-
 ſtrem & orphanos efficaci illa ſui Spiritus
 conſolatione fulciat, & Illuſtriſſimos noſtros
 Principes, qui ſunt *κύριοι δικέτωρ*, & ad quos
 gubernatio per hæreditatem devoluta eſt,
 eorumq; coniuges, regat, ijsq; concordibus
 longa vitæ ſpacia, bona & ſalutaria ipſis &
 toti provinciæ conſilia, ſucceſſuſq; ſecundos
 tribuat, & hunc Ducatum ſinat eſſe uſq;
 ad glorioſum Filij ſui adventum, hoſpitium
 & domicilium piarum Eccleſiarum & Scho-
 larum, ac ſibi ex nobis colligat agmen,
 in utraq; vita ipſum colens & ce-
 lebrans ſeculis infinitis,

QVID



UID tandem PRINCEPS
optem tibi Dive GEORGI,
Pro merito nunquam comme-
morande satis?

Sapè rogata mihi, sed respondere roganti
Musa gravi luctus mæsta dolore nequit.
Donec eras inter mortales integer, uno
Mens, caro, fama, simul iuncta fuere loco.
Hec ubi discrevit triplici statione locorum
Mors somni soror, & parcere Parca negans,
Divisum qua te mundi regione requiram?
Lumina quò vertam corporis ista mei?
Mens tua nixa fide cælum subvecta migravit,
Terra sinu cepit corporis ossa suo.
Sola sed, extinctos qua præstat vivere, fama
Nominis invasit Solis utramq; domum.
Quid precer ergò tibi terna dititione recepto?
Ut precer hoc pietas officiosa iubet;
Nil aliud, nisi quod votis iam nactus es aquis,
Gratia quod precibus contulit alma tuis.
Sint anime, quo iam fruitur, sua gaudia cælum,
Exuvijs stratum molle ministret humus.
Gloria virtutum lato spargatur in orbe,
Et laudum volitet fama per ora virum.

M. MELCHIOR TILESIVS,
Illustris Scholæ Bregensis
RECTOR.

CARMINA PARENTALIA
FACTA

MEMORIAE

ILLVSTRISS. PRIN-
CIPIS, DN. GEORGII II.
DVCIS IN SILESIA LIGNI-
CENSIS ET BREGEN-

SIS, &c. piè defuncti

Bregæ: VII. Maij,

ANN:

M. D. LXXXVI.



DUM,



UM, Viadri in ripa
fluctu luctuq; sonantis,

BREGA suo parat exe-
quias atq; vltima dona

HEROI, sobolemq; omnem
ad feralia sacra

Mittit eò (nang; ipsa annis ac cor-
pore fessa

Mater fusa solo, in cinere, in squalore iacebat,

Atq; suo in lare lugebat communia damna)

ELYSIA; obscuro perhibent septam aëre Musam

Acclinem pheretro, defixog; ore tuentem

Ora ducis, canaq; coma & pallore sereno,

Qualem in tranquillo compostis cernere somno est,

Heroam speciem, & decus attestantia priscum;

Hos pro laude Senis, tum pro solamine gentis

Elysiæ, tenui versus fudisse papyro,

Plus lacrumis, quàm rore vnda Permessidis vdos.

Elysios umbra suavi complexa colonos

Ergo arbor ruit? ergo situm testudine in alta

Lumen, ad officium & patriæ emolumenta refulgens,

In tenebras yt? ergo imo flos aruit aruo

Ex LYGIA stirpe & regali sanguine cretus?

O arbor, ô lumen, & irreparabile sertum,

Inclyte Dux, tua sic patriam discessio priuat

Præsidio, luce, & decore? heu qui iam ingruet æstus?

Quæ tenebræ? qui squalor? adhuc'ne heremus in ausis

Turpibus, & nondum diuinam agnoscimus iram

Magnorum toties monstratam in morte virorum?

Fortè tui quidam simulantes corporis instar
Aut lapide in Pario calabunt, aut magè viuo
In lævi tabula depingent ora colore.

Pingat Musa animum, (quantum potis ipsa) latentem
Corpore, conspicuum factis. Moderamina rerum
Qui tractant, fidis simulachrum imitabile lustrent
Luminibus, potiùsve animis vitæq; sequantur.

Illius ergo Ducis pectus fuit aula, nitenti
In cuius thalamo, indigenæ sub fœdere dolci
Virtutes agerent, pulcherrima turba Dearum,
Quæq; suis pensis operata: Sed omnibus una
Splendidior, cœlo ducens genus, omnibus ibat
Purior, & sordes impensè umbrasq; cauebat.
RELLIGIO. dulces prope eam MISERATIO flammæ
Excitat, & flexi coquit intima viscera cordis
Erga res inopum, quibus aut fortuna, benigna
Subsidia eripuit vitæ, aut mors invida patrem,
Consortemve thori. his sese exhibuisse parentem
Dux subito visus, dextraq; ex ubere passus
Auxilij rivum ad viduas manare salubrem,
Et nullum vanis se in vota vocasse querelis.
Relligio, casse est nucis instar, fructibus orba.
Quin & munifici testantur pectoris usum
Magno opere & sumtu constructa palatia Musis,
Ipse quibus toties succedere, & agmina pubis
Ingenuæ non erubuit succendere tantis
Exemplis & voce sua, ad studium acre; labores
Aulæi solitus recreare in pulvere ludi,
Cumq; ipsis doctas voces conferre magistris.
Non minùs arte vigor sceptris, quàm Marte paratur.
Exin libratas equali examine lances
Stabat habens Astrea, Ducemq; intenta iubebat
Reddere iura. graues hinc quando salubria cause
Consilia, & præsens medicamen in arce vocarent,
Sæpè dies tenuit totus, non munera Bacchi,

Non

Non vesca Cereris cupientem, aut ocia lecti,
 Antè ope quàm firma res agra quiesceret, ac tot
 Consulti, fuerat quos cætu adhibere frequenti,
 Commoda difficili reperirent pharmaca morbo.
 Ipsa Salus ex consilijs venit obuia multis.
 Hæsit & in confessu illo CLEMENTIA, Diuis
 Quæ sola assimilât mortales: hæsit amica
 Fronte sedens CHARIS Heroi, & dulcissima semper
 Præstitit officia: inprimis cùm Saxona regna,
 ASCANIAMq; domum, & Lenæo germine amictos
 Sucuorum colles, atq; intima viseret arua
 Teutoniæ; seu cùm niveo in loca sacra Leoni,
 CAESARIS inq; aulam, non auro aut grandibus annis
 Iam parcens, patriæ prece victus, & illius vrgens
 Commoda, ceu genitor verus cupit optimè alumnis,
 Se ferret: quacunq; ibat, Senis ora verendi
 Mirari gentes; in eo splendescere veri
 Teutoniarum exemplar, cui nulla superbia cordi,
 Nullus amor luxus, non melle recondita blando
 Asperitas, sed mens manifesta in fronte, loquelis
 Consona, dextra tenax fidei, custosq; pudoris;
 Auris amans veræ vocis, mendacibus hostis;
 Ductoremq; olim Germanæ gentis ijsse
 Hoc gestu, hoc animo Arminium. Sic incola passim
 Dicere spectator, incundaq; fata precari.
 Dulce iter, & clari species non vana triumphi.
 Dignum homine est, homini se blando ostendere gestu
 Esse hominem, & terram communem agnoscere matrem.
 Quid reliquas memorem Diuas, quarum edere nomen,
 In numeris spissum est, sed promptum agnoscere factis.
 Nil animum Heroum tentabat futile: at orsa
 Naturam recti, & prisca grauitatis olebant
 Omnia: Sensa modis veris concepta tenaci
 Amplexu & fibra solidus constante fouebat,
 Nil æquè damnans, ac labra, cupidine lucri

Assueta

Assueta exortes iuris defendere partes,
 Inq; suam lites alienas vertere prædam.
 Omnibus ardor erat par in Virtutibus; omnes
 Nexuit una fides, omnes moderamine sano
 Flecebat RATIO, nuncq; hæc, nunc illa vocabat
 Ad pensa, in morem Regina: temere iussa
 Nulla procax, ab heri secedere corpore nulla
 Suerat; in excubijs sed enim sua siue teneret
 Atria, siue lares alios, alia arua subiret,
 Accinctæ stabant mensæ, & sermonis, & omnis
 Consilij ad patriæ spectantis commoda terra,
 Participes. Ea turba Duci fuit assecla, cætus
 Ille sequax, res humanas dum morte reliquit:
 Nec tamen ille Ducem grex ipsa in morte reliquit
 Insitus aulæ animi, qui cæli in parte receptus
 Illustri iam ævum trahit immortale, vidensq;
 Ista suo cineri sacra relliquijsq; parata,
 Cælitus has voces, hæc mittere dicta videtur,
 Plangentium ad cætus, ad pectora facta dolore:

Quorsum ista lacrumæ? quorsum hæc querimonia, dulcis
 O coniunx, nati ô dulces, ô patria cara!
 Mene nece extinctum aut vobis raptum esse putatis?
 Eripit hos mundo mors, qui cunabula fœda
 Degeneres habuere, ævumq; egere nefandum,
 Nec desiderium, aut nomen relinquere decorum
 Vel patriæ, vel cognato in lare. Non mihi talis
 Fortuna, illustri qui duxi è sanguine stemma
 (Maternam seriem decorant mihi CAROLVS autor
 Arbiter imperij MAGNVS, subscriptaq; Divis
 HEDVVIGIS; patriæ stirpis de Rege PIASTO
 Fluxit principium, & septem iam secula vicit.)
 Et patriam meritis communem illustribus auxi;
 Fatali Lachesis mihi dum trieteride lustra
 Bissenæ augetet, subitoq; abrumperet ictu.

Eripit

Eripit hos cælo mors, quorum saucia labes
 Pectora, non meritis purgata & sanguine Christi,
 Anxit, & aeternæ damnavit tormine mortis.
 Aevum ego cum superis, cum servatore perenne
 Christo ago. Vester eram Princeps, & pondera rerum
 Sustinui graua; at iam liber adhæreo cæli
 Principibus. Quare haud fletus, sed gaudia nostra
 Debentur sorti. Sed enim vos propria torquet
 Vitilitas, nostro quæ fors sit adempta recessu
 Iram portendente Dei. ne crimine multo
 Tota scatet tellus, dirisq; in sordibus hæret.
 Hinc cæles pœna, hinc populi capita ardua fatis
 Decutiuntur, & orba viris moderamina nutant.
 Non tamen ad pestem vos, verum ad tædia culpa
 Ad frugem reuocant, IOV AEQ; loquuntur amorem
 Vos erga, hæ ferula. gens nullis tacta flagellis
 Cetera continuat sceleris cursum, aetq; pronò
 Impete in exitium & graucolentem pergit Auernum.
 Vos sapite, & dios maturè admittite iussus.
 Non lacrimas ergo poscit fors vestra, sed ævi
 Auspicium melioris. Ego haud sine Numine IOV AE
 Sum patriæ datus; haud iterum sine numine IOV AE
 Abductus patria arua astris & lumine noctem
 Mutavi. In Gnatis simulachrum dulce relinquo
 Ipse mei, quos confestim à primoribus annis
 Consilijs procerum miscere, & munia sceptri
 Me volui, curasq; Ducum tolerare, magistro.
 His operam, his, moneo, fidas adiungite partes,
 Debitaq; obsequia: in melius sic patria demum
 Res ibit; mea sic vobis absentia fiet
 Ad sensum levior, forsq; ore fauebit amico.
 Audiam, & hæc medio me fama hilarabit Olympo.

Georg. Tilenus I. V. D.

G ij

PARAE-

PARÆNESIS

Ad iuventutem Scholæ Bregensis.

Δ εὔρο νέος τε νόφ' ἐνὶ κάρθεο ὄπῃ κερ' εἶπω.
 μή ὀλιγώρῃ ἐμῶν ῥήματι, ἀλλὰ ξύωες.
 ἡμᾶρ σοὶ ἐφάνη ὀδωῶν εἶρ ὦ δ' ἴνα ἡμῶν
 ἐσθ' ἄλλοσ' εἶρ κρύπτῃ κρ' ὄρδα δ' αὐτῶν ὁ ἄϊαξ.
 νῦν μέγα δρῆνησον, καὶ κηράδ' ὁ δ' ἴρεο κηρόσ
 εὐσεβῆ ἀρχηγῶν καὶ ἄμ' ἐόντα σοφῶν.
 τὸτο ποδῆ ἀρετῆτε καὶ εὐσεβίῃ, καλὰ ἀλλὰ
 κείνσ', ἄσα ἐμοὶ καὶ σοὶ ἔρεξε πατῆρ.
 ἀλλ' ἄρα σοὶ πένθος χαριέσθρα παίγματα εἶπ:
 τερπέσθω ἄλοοις παίγμασι πᾶσ' ἐδέλωρ.
 σὲ γῆ μύρεσθαι τεθναότ' εἶνεκ' ἄϊακτ'.
 καὶ καθελῆρ' εὐχαῖσ' ἄχθ' ἐφαπτόμενορ.



*Obilis huc adsis pubes ignobilis
adsis,*

Huc huc & Pubes ὁ Generosa veni.

*Namq; dies orta est tristis tibi mæstaq;, NOSTER
Qua DVX in Cryptam funere victus abit.*

*Nunc geme, plange, dole, suffundeq; lumina fletu,
Luge tam celebris Principis interitum.*

*Hoc eius pietas, virtus, benefacta merentur
Præstita multa mihi, præstita multa tibi.*

*Sed fortasse iocus potior tibi lusus & esset?
Gaudeat is lusu, qui volet, atq; iocis.*

*Te iuuet Illustris fatum doluisse PARENTIS,
Et præce quæ impendent fata leuare tua.*

M. PAVLVS IVNGIVS,

linguarum in Illustri Schola
Bregensi Professor.

A L I V D.



Langite Pierides huc ex Heli-
cone profectæ,
Illustris mecum funera flete
DUCIS.

Lugeat abiecta testudine mæstus Apollo,
Et studiosa cohors tristia fata fleat.
Hic ubi sunt turbe sacra castra locata novena,
Castra novo luctu plena dolore novo.
Tu Viader gemitus gemebundo murmure nostros
Occidui volvas littus ad usq; maris.
Namq; Silesiaca decus immortale GEORGVS
Gentis, & armarat quem DEVS ipse, iacet.
Magnanimus Princeps cultor pietatis & equi,
Dicitur honorifica voce pater patriæ.
Clarus avis, atavisq; potens, fortissimus heros,
Nobile tam pectus contegit urna brevis.
Mortuus ille iacet, quo non prestantior alter
Tempore quo patrio vixit in orbe, fuit.
Flos iacet imperij, posuitq; cadaver honores,
Incertas vitæ liquit & orbis opes.
Iam subito Parca grassante furore videmus
Ereptum dederat quod DEVS, esse, bonum.
Esse secuturas occasum Principis huius
Quis dubitat varias hic & ubiq; vices?
Namq; DEI mos est, cum vult evertere gentes
Ut iubeat placidè ponere sceptrâ Duces,
Quorum consilio Respublica crevit adauctâ,
Communis patriæ floruit atq; status.
Talis erat noster Princeps dum fata sinebant,
Et vitæ norma & dos opulenta DEI.

Paciè

Pacis amans, in pace suos cum laude regebat,
 Cordeq; pacifico labe solutus obiit.
 Vivus enim verè fuit hic Tyrinthus alter,
 Terrori multis gentibus & Ducibus.
 Hoc Duce sublato patriæ spes concidit, illa
 CHRISTE tuo sed adhuc nititur auxilio.
 Ille reliquisset si non potiora nepoti,
 Structa secuturo quàm monumenta, suo;
 Nempe Scholam studijs cultam, simul artibus illis
 In quibus est laudis gloria sparsa DEI.
 Artis & urbis ubi sat amœna mœnia Brega
 Latè spumiferis Odera cingit aquis.
 Hoc benè de patria meruisset nomine solo,
 Atq; omni grata posteritate coli.
 Præterea fuit & Ducis huius prima doceri
 Dogmata cura, prius sorde relecta, DEI.
 Altera Iusticiæ leges, artesq; togatas
 Provehere in patrij commoda magna soli.
 Nec minus in rebus cunctis hic providus heros
 Neglexit, fuerant quæ peragenda foro.
 In commune bonum studioq; fideq; laborans
 In regno coluit fasq; piùmq; suo.
 Inq; bonus bonus & clemens, & fontibus asper
 Omnibus, hac vita dum frueretur, erat.
 AEquior hic viduis miseris fuit, atq; pusillis,
 Huius & experta est orphana turba fidem.
 Christe tuos cætus propugnans Marte, togaq;
 Provexit veræ religionis opus.
 Cultor erat terræ, ceu nomen id indicat ipsum,
 Doctrina illustrans mœnia, templa, Scholas.
 Excubias egit pro Christi semper ovili,
 Errori nullum sivit & esse locum.
 Hunc tam clementem tulit inclementia fati,
 Urbibus eripiens hoc decus Elysijs.

Hic

Hic quis non lacrymas gemitus & fundat acerbos?
 Amisso tanto Principe, tamq̃, bono.
 Tota flet aula, simul Ducis ingemit inclyta coniux,
 Mæsta Ducissarum corda coquitq̃, dolor.
 Nobilitas Ducibus præit atra veste duobus,
 Solatura Ducum grande doloris onus.
 Iuncta ministerio Schola perturbata querelis,
 Mærore & iusto non vacat ulla domus.
 Testatura grauem Sophia studiosa iuventus
 Luctum, vix mæsto ducit ab ore sonos.
 Ordo Senatorum simul & pia pectora vulgi,
 Ora rigat lacrymis advena turba pijs.
 Delitias patriæ, lumen, famamq̃, requirunt,
 Devota patriæ voce petuntq̃, patrem.
 At nos non indulgendum tamen esse dolori
 Debere, & luctum scimus habere modum.
 Sit solatiolo nobis hoc orbe relicto,
 Morte quod hic leta carne solutus obit.
 Exhalans animam vota inter & ardua, vitam
 Finijt in vera cognitione DEI.
 Est bona finis enim thesaurus maximus, inter
 Orbis opes fluxas, perpetuumq̃, bonum.
 Huic ergo cineri consperso sanguine CHRISTI
 Vltima thura, DEO sint modò grata, damus.
 Quem movet interitus defuncti Principis oret,
 Ut lesi fiat mitior ira DEI.
 Qui solus transfert & fulcit regna, Ducesq̃,
 Et quò vult regum flectere corda solet.
 Hic faciat regni novus ut successor & heres
 Sit felix, CHRISTVM, Iusq̃, fidemq̃, colat.

M. MELCHIOR SEVERVS,
 Poetices in illustri ludo Professor.

H Heu do-



HEU dolor & lacrymæ, lux heu
signanda lapillo
Atro, Slesiaci qua ruit orbis
honos.

Heu nox importuna, eheu lacrymabile tempus,
Heu sæva, heu nostris fors inimica bonis.
Occidit heu PRINCEPS, vera pietatis imago.
Viva, & Slesiaci gloria prima soli.
Occidit heu miseris fato præreptus iniquo
Princeps Pierij spes columenq; chori.
Occidit ab capitis nostri Diadema, decusq;
Verticis Elysi, propter, in astra, scelus.
Defensor fuit hic vera pietatis; & autor
Primus, & illustris firma columna Schole.
Dogma DEI infractò defendit pectore & armis,
Multoties fregit terribilesq; minas.
Providus & sapiens, cultorq; acerrimus equi,
Candoris nivei præses amœnus erat.
Regibus acceptus, Regum de sanguine cretus,
Mortuus en Regis regnat in arce DEI.
Evexit Proceres, urbes ornavit, & agros
Excoluit, charus cuilibet usq; fuit.
O quoties blandis miseros respexit ocellis?
Ignotis quoties spontè ferebat opem?
Præsidium commune fuit, portusq; quietus,
Afflictis tutum semper asylon erat.
Subiectos dulci populos in pace regebat,
Iniustus nullis: omnibus equus erat.
Dum mundo in toto bellorum incendia surgunt,
Vndiq; dum premimur, turba misella, malis.

Vt re-

Vt reCOLLIt MALL nonas, aC PasCha GeorGI^{IV}s Distichon
 SeXagles aC ter noCte seqVente rVI. numerale.

Invidit nobis hunc invida Parca patronum,
 Dum regni metuit plurima damna sui.
 Surripuitq; patrem patriæ, nobisq; reliquit
 Mæstitiam in terris, letitiam superis.
 Verè namq; pater patriæ fuit ille benignus,
 Currus equesq; potens, sancta caterua, tuus. 4. Reg: 2.
 Lugeat ergò omnis meritò Germania luctu:
 Lugeat extinctum patria terra patrem.
 Lugeat & pia Dux, Gnati, Gnataq; Nurusq;
 Et doleant Proceres, vir mulierq;, Ducem.
 Defuncti mærent avida quoq; morte, dolentq;
 Phæbus cum Musis, Pallade cum Charites,
 Patronum diro quia mors sibi funere tantum
 Surripuit: possunt iure timere Deæ.
 Sed vos ò Gnati, Regum generosa propago,
 Quos amat & meritò Slesia tota colit;
 Vivite felices, memores rectiq; boniq;
 Accipite innocua scepra relicta manu.
 Det DEVS, vt duplici cumulati robore mentis 4. Reg: 2.
 Omnibus ornetis templa scholasq; modis.
 Et tandem cum fata ferent longæva, Parenti
 Vos cælo iungat, perpetuoq; beet.

M. MATTHAEVS VVEINTRIT
 B. Scholæ Professor T.

H ij Inclytus



*N*elytus eximia virtute Geor-
gius heros

Elysiæ fato dum superante cadit:

*Orba dolet Duce subdita turba, Ecclesia Luce,
Nostra schola altore, & patria patre suo.*

*Nam mundi fluctus luctum dant, fluminis instar
Luminibus lacrymas, atq; anime gemitum.*

*Dum iam prospicimus ruituri incendia mundi,
Vndiq; & erumnis obvia turba sumus.*

*Nam quos non rapuit Mors, his Mars dira minatur:
Cumq; mali simus, nos mala multa premunt.*

*Fœnoris & Veneris studium, tum fastus & astus
Huius fatalis fons & origo mali est.*

*Dumq; bonos rapiunt mala fata Ducesq; virosq;
Doctores: remanet gens studiosa mali.*

*Sed benè apud memores tanti mens conscia luctus.
Non edit fremitum sæpius at gemitum.*

*Sic gemitum quoq; cum lacrymis dolor exprimit ingens,
Dum iusto exequimur debita iusta Duci.*

*Namq; heros is erat: factis & nomine Princeps
Illustris: columen totius Elysiæ.*

*Et generis splendor, virtutis imago & avitæ
Communi patriæ commoda magna dabat.*

Excellens patriæ sidus: Silesiæ ocellus:

Cui sacrum sacro numine Lumen erat.

*Augustus terræ cultor, venerandus & auctor:
Auxilio huic aderat consilioq; bono.*

*Cautus in hoc prudensq; simul: sed promptus in illo
Et bonus ille bonis, acer eratq; malis.*

*Dictis & factis constans: & fortis in armis:
Æquus in imperijs de ditione sua.*

Ordinis assertor: disciplinaq; probatæ

Defensor: custos iuris & æquus erat.

Nam

Nam reētis dexter: lapsis ratione benignus:
 Iuris amans placidè se moderantis erat.
 Supplicibus clemens tutor: summusq; patronus:
 Supplicijs dignis afficiensq; malos.
 Paxq; Fidesq; alma Elysij sedere sub umbris,
 Hic dum curabat req; fideq; gregem.
 Nam curas patriæ, moliminaq; ardua rerum
 Cesaribus felix quatuor ille tulit.
 Relligionis amans inprimis, atq; scholarum
 Pro pietate sua fautor & autor erat.
 Sic ludum illustrem instituit: se adiungere & eius
 Dignatus sæpè est cœtibus ille sacris.
 Odit pacis amans amentem litis amorem,
 Qui passim turbat templa scholasq; pias.
 Atq; ideo veram, quam tot repetivimus annis,
 Hoc duce, doctrinam templa scholæq; tenent.
 Hæc celebrare iubet Pietas: obÿsse sed ipsum
 Seq; orbam tanto munere turba, dolet.
 Respondet Pietas: non hunc obÿsse, at abÿsse:
 Namq; fuit vitæ finis origo novæ.
 Vel quæ plena fide ipsius ultima verba fuere:
 Mors illi vitæ janua vera fuit.
 Qua CHRISTI meritum apprehendit tenuitq; salutis,
 Ipsa Ducem fidum duxit ad astra fides.
 Tempore quo quondam es subvectus ad athera, venit
 Dux ad cœlestem, te Duce CHRISTE, domum.
 Illic antiquis heroibus additus heros
 Percipit in gremio gaudia vera tuo.
 Quinetiam applausit venienti parvula neptis
 Barbara, quam tulerat nuper & ipse DEVS.
 Non hunc ablatum penitus nos morte putemus:
 Virtutem natis liquit & omne decus.
 Qui tale imperium, quale est his nomen, habebunt:
 DANTE * DEO PACEM, GRATIA VT ARVA COLAT.

*Deseruit pia mens ut verno tempore corpus:
Sic verè aeterno Vere resurget idem.
Spes igitur reditus discessus lenit amarum
Sensum: amor exigit hoc, id pietasq; monet.*

* IOACHIMVS, Hebr. præparatio Domini.
FRIDERICVS, Germ. in divite pace.
IOHANNES, Hebr. gratiosus.
GEORGIUS, Græc. cultor terræ.

SYMBOLVM

De pio GEORGII nomine,
ex ipsis S. Scripturae verbis
contextum.

I. Cor: 3. v. 9. Ἐσμεν θεοῦ γεώργιον: Arvum Dei sacrum sumus:
Psal: 18. v. 2. ἡμῶν δεξιὰ ἰσχυρὸς θεός: Is fortitudo nostraq; est:
Rom: 14. v. 8. ἢ ζῶμεν ἢ οὐκ, εἰ θνήσκωμεν, ἢ μὲν αἰεὶ ἔσμεν θεοῦ. Sic cùm morimur seu vivimus,
Semper DEI tamen sumus.

P. P. IX. Die Iunij: in exequijs Funeris
ILLVSTRISS. PRINCIPIS, &c.

M. MELCHIORE GERLACHIO,
SORAVIENSI.

ETI

Ε Π Ι
G R A M M A.



VM senio morboq; premente GEOR-
GIVS, Heros
Elysiæ, medicam sollicitaret opem:
Mors, aurem vellens, hîc abnuit esse manendum,
Atq; iter in cœlum veriùs ire jubet.
Annuit, aspirans tranquillus ad æthera, Princeps;
Et mortem invitans, legit ab orbe fugam.
Non mora: mox anima & corpus fecernitur: orbj
Linqvitur hoc, superos illaq; præpes adit,
Nunc ubi cœlesti cum Christo in sede perennat:
Sic, animæ medicum sollicitare, bonum est.

SAMVEL LATOCHIVS
Secundus, Brigenfis.

ΦΕΥ, φεῦ, ναῦ ἐγγύς σονάχη πύματιο ρόνοιο
 τῆς ποδὶ ἀρτιεπήσ χρισὸς ἔλεξε βροτοῖς,
 ἀργαλέλιω τε δίκλω κόσμω δεδὸς αὐτὸς ἔπενξε
 καίπερ μὴ σιγμῆς κείνη ἀπεσι ρόνος.
 σκηπτοῦχουσ ἀίρε πολλοὺς ἠΐ μοῖσαν ἀνακτας,
 οἱ λαοὺς ἀνεχούσ, ὡς τὸν ὄλυμπον ἄτλασ:
 εὐτὸς πανδήμιος σομάπεσι βοώμην ἤρωσ
 γεώργι, αἰ, γαίη σῶμα κάλυφεν εὐ
 ἐννομε, σλησιακοῖς ὅσ ναιετάεισ μεγάροισι
 δράνα: τοῦ πένθος αἰτία μυρὶ ἔχει:
 σῶρ γὰρ ταῦτα πέλει μεγάλων ἐνεκ ἀμπλακιάων,
 οὐδ' ἐμίων τῶν οὐκ οἶδ' αὖ ἐπισασίαν.
 παῦσον δ', ὅτι ἀγαν, τούτων καταβάλλειο θυμόν,
 θυμόν, ὅσ εσβασάνδης τοῦ ἀχέροντος ἄγα.
 ἠδ' ἐθ' ὁμῶς εὐχου ἀνολέθρῳ ἀνακτι ἀνάκτων,
 ἡμᾶσ ῥύσαδι ἐκ κακοῦ ἐρχομένσ:
 ἤρώοιρ τε δ' υοῖρ Τηρεῖν δμοφράδ' μονα σήθη:
 κρεῖττον τούτοις πρήγματι οὐδ' ἐφυ.
 εἰ γὰρ τ' ἄμμι δεδὸς πολυαλγέα τραύματα γράψε,
 οἷος ἐπαλήσει τραύματα τόσα δεδὸς.

Δαυιὴλ ἀμπόργης
 κεραιτοπολιεύς.

ΕΝΕΥ.



HEU, jam luctus postremi tem-
poris instat,

De quo, qui nescit fallere,

CHRISTVS ait,

Grandeq; supplicium mundo **DEVS** ipse paravit,

Quippe, haud momento temporis illud abest.

Sceptrigeros aufert multos ex ordine reges,

Qui populos gestant, pondus ut orbis Atlas:

Sic cunctis terris longè celeberrimus Heros

GEORGIVS, ah, terra corpore claustra subit.

Incola Slesiacis quicumq; moraris in oris

Luge: nam causas mille doloris habes.

Tristia tam propter commissa piacula geruntur,

Quorum tu nullum scis habuisse modum.

Desine, peccatum satis est, hanc exue mentem,

Mentem quam poena, sit nisi versa, manent.

Et pariter Regem regum prece supplice adora,

Vertat ut à nobis tantaq; totq; mala:

Et bene concordem Heröem seruet utrumq;

Qua re vix quicquam pulcrius esse potest.

Nam quando ipse **DEVS** nobis hæc vulnera fecit,

Solus sanabit vulnera tanta **DEVS**.

DANIEL HAMPERGER

CARNOVIVS.

I **ELE-**

ELEGIA
 IN FVNERATIONE
 ILLVSTRI
 SCRIPTA.



VAE letata diu, pacemq; experta fuisti,
 Nunc lacrymis oculos imbue BREGA tuos.
 Utq; decet vultum pullata reconde, nouaq;
 Indue tristitia victa dolore notas.

Ferales quoniam tadas, feraliaq; arma,
 Perq; vias cernis tristia, perq; domos.

Adsunt tot Proceres mærentia corda gerentes,
 Et flos eximia nobilitatis adest.

Omnia qua luctum magnum testantur, & ingens
 Mæroris pelagus, funereumq; diem.

Nempe pater patria, clarusq; GEORGIVS heros
 A superis iussum mortis adiuit iter.

Quo cum relligio, pietasq; euanuit, & pax,
 Pax olea canas cineta virente comas.

Vt iam nil aliud, nisi bella, immania bella,
 Barbariesq; tuo sit metuenda solo.

Non Viadrus frustra spatioso vortice abundans
 Exijt, ac tenuit fluctibus arua suis.

Non frustra præter solitum concurrere ventos
 Vidimus, & miris bella mouere modis.

Tempore non alio Vulcanum incendia, & atram
 Plura tuis tectis sunt minitata facem.

Nix quoq;, cum violas bene olentes funderet hortus
 Insueto tepidam more tegebat humum.

Quæ certè tristes casus instare monebant,
 A ceruice tua nec procul esse malum.

Talibus, ut perhibent, Romana palatia rebus
 Plena, neci Caesar cum datus esset, erant.

At paucos hac signa mouent, nisi quando ruinam
 Omnia fatorum lege iubente trahunt.
 In se tunc homines descendunt, deq; precantur
 Damna, ubi per longas invaluere moras.
 Cuncta sed, ut nequeant sublimes tangere nubes,
 Irrita per timidam verba feruntur aquas.
 Scilicet innumeris (volumus si vera fateri)
 Criminibus ciues hoc meruere tui.
 Quippe nefas & fas versum, nec ab amplius vlllo
 Sobrietas colitur, cumq; pudore fides.
 Omnis eget virtus cultore, nec ille refulget
 Qui fuit in priscis, religionis amor.
 Tempia situ deserta iacent, quæ sæpè sacerdos
 Solus adit, quo cum tresvè duovè sedent.
 Dumq; foret sacris hymnis, precibusq; vacandum,
 Intra cauponas ebria turba bibit,
 Nec prius absistit, quam mens titubante cerebro
 Deviet, & pleno turbida ventre natet.
 Amplius hunc igitur superi traducere vitam
 Hac in colluie non voluere Ducem;
 Ne vel corrigeret, vel ne mala tanta videret,
 Quæ subito in nostrum sunt ruitura caput.
 Non secus ac seruans nemora inter frondea pastor
 Sollicita pauidum sedulitate gregem;
 Forte sui quando vestigia prævidet hostis,
 Non mora: dilectas undiq; cogit oues.
 Et loca tuta petit, sylvarum lustra perosus,
 Ad quæ non ausit Martius ire lupus.
 Et quis adhuc gerat ambiguam mentemq; animumq;
 Fallor? an euentis hæc quia signa carent?
 Ne mihi ne quisquam tranquillum spondeat auum,
 Cum tollunt magnos provida fata Duces.
 Adde quòd attigimus nimis illetabile tempus,
 De quo tot vates, tot cecinere magi;

Quo nec inexpertum quicquam, nec linquet inausum
 Efferus & crudo squalidus ense Getes.
 Impius & plenas furiarum effundet habenas,
 Qui prædam Latia captat in urbe, lupus.
 Nosq; gregem paruum, (ni vis diuina resistat)
 Torrebit flammis, aut dabit ense neci.
 Nec tamen interea cessabit ciuibus vrbes,
 Agricolis pagos &, viduare lues.
 Ut, quia sublatis squalebunt arua colonis,
 Orbe sit in toto magna futura fames.
 Et quamuis nimbus gentilis inebriet agros,
 Et bibulam potet fertilis imber humum;
 Nulla sit utilitas tamen, & neglectus arari
 Nil nisi cum spinis gramina fundat ager.
 Scilicet hæc nobis cuncta impendere videntur,
 Aut etiam his ipsis deteriora malis.
 Vim nisi nos ardore precum tendamus Olympo,
 Ut fiat lesi mollior ira DEI.
 Ergo quid est, quod ab assiduo deducere luctu
 Corda, vel à lacrymis iugibus ora, queat.
 Quin ò Brega fleas potius noctemq; diemq;
 Et Viadrus crescat luminis imbre tui.
 Lumen enim patriæ magnum, columenq; remotum est,
 Quo presente hostes conticuere tui.
 Quam nisi caniciem veriti vultumq; fuissent,
 Iam pridem illorum vim subitura fores.
 Ille repurgatæ doctrinæ assertor, & acer
 Defensor dempto sine carendus abest.
 Quo sub erat sedes mendaci nulla Prophetæ,
 Spargenti cerebri vana reperta sui.
 Quiq; nec excubijs parcens nec sumptibus ullis,
 Patronus veræ religionis erat.
 Nec nisi doctrinam prius explorasset & artem,
 Muneris est quenquam passus obire locum.

Halcyone

Halcyone velut è spina cum forte natantis
 Nauigij paruum fabricat ore larem,
 Ut genus ipsa suum teneros excludere pullos
 Sustineat Cauros inter & inter aquas.
 Exponens spumis & fortibus ante procellis
 Explorat nexus duriciemq; notat,
 An fluctus patiatur & assilientia longè
 AEquora, nec flabris det latus Eure tuis.
 Tandem, ubi nec vento moles nec peruia fluctu,
 Puppe sedens medio frigore sulcat aquas.
 Haud aliter Princeps morum, vitæq; magister,
 Si quos muneribus præficiēbat, erat.
 Nil quoq; de curis reliquum faciebat, ut artes
 Disceret & mores culta iuuenta bonos.
 Quis nunc flexiloquos coget dare terga Sophistas?
 Quis curam veræ religionis aget?
 Quis nunc fautor erit Musarum, quisuè fouebit
 Artibus insignes & pietate viros?
 Quis nostram seuis defendet ab hostibus oram,
 Tantarum rerum pondera quisuè geret?
 Nunc demum, postquam tanto de Principe mæres,
 Quantum perdideris, experiere, bonum.
 Nonne foret satius, ciues si mille perissent?
 Saucia non tanto Brega dolore fores.
 Lurida tam multos, tam claros, tamq; peritos
 Nuper Lethæo mersit in amne lues.
 Nec tamen illorum nobis absentia damno est,
 Causaq; lugendi non ita longa fuit.
 Sed quoties hunc Brega Ducem lugebis ademptum,
 Ora per & mæstas imbre cadente genas?
 Aspicias oculis quoties humentibus aulam,
 Ac suspirabis tristis & ægra Ducem?
 Ergo licet plures oculos natura dedisset,
 In lymphas totam te tamen ire decet.

Et tam mane nouo, quam sero vespere, luctus
 Signa dare, & tristi corda ferire manu.
 Nec nisi veste nigra peplisq; fluentibus uti,
 Ac decus incultis omne negare comis.
 Non ut in hanc reuoces lucem, quem fata tulere,
 Subuectum ex illis in meliora locis.
 Sed ne vel quercum referens adamantaq; durum
 Non videare tuis ingemuisse malis.
 Longa (fatebor enim) viuendi tempora Princeps
 Caniciem seram duxit ad usq; tuus;
 Ut tam natura fuerint quam debita Parcis
 Stamina per iustos continuata dies.
 Præterea fama satis est & laudis abunde,
 Nec iam præconis nobilioris eget.
 Viuet enim dum religio florebit, & artes,
 Bellerophontea dumq; bibentur aquæ.
 Iam taceo quam clarum & quam memorabile nomen
 Quæsierit, forti cum tulit arma manu.
 Sed tamen, ut nihil est, fieri quo gloria maior,
 Nec quo laus porro crescere possit, habet.
 Sic opus, hanc inter turbam & discrimina rerum,
 Amplius hoc nobis Principe, Brega, fuit.
 Nunc quia consilio superum, fatoq; volente
 Defunctus solio cecidit ab ipse suo.
 Iure tuam luges sortem, lacrymisq; profusis
 Prosequeris clarum flensq; gemensq; Ducem,
 Oraq; præ te fers largo manantia fletu,
 Semper & illius nomen in ore geris.
 Non tamen officio (quamuis hæc omnia sancto
 Præstiteris cineri) functa ferere tuo.
 Orandum quoq; Numen & in tua vota vocandum,
 Ne tecum stricti fulgure iuris agat:
 Sed parcat, fulmenq; suum fera tela recondat,
 Heu nimium misera cognita tela tibi.

Cumq;

Cumq; DVCEs alij iam nunc, quos ille reliquit,
 Ciuibus incipiant induperare tuis;
 Tempia per, & sacram votis incumbere per aram,
 Et venerare pio thuris honore DEVM,
 Ut regat illorum mentes, & quando necesse est,
 Instruat ingenio, consilijsq; iuuet.
 Faxit & ut servata legant vestigia Patris,
 Nilq; putent recto iustitiaq; prius.
 Et causas equis cognoscant auribus omnes,
 Sine reus Cræsus, seu reus Irus erit.
 Nec timeant hostem, licet arma minetur & ignem,
 Nec dubitent vera pro pietate mori.
 Exemploq; patris Musas Heliconæ colentes,
 Et pia Castaliæ pignora fontis ament.
 Dogma nec in delubra sinant irrepere falsum,
 Auribus erronum verba nec vlla bibant.
 Et quia non aliter, nisi sit concordia fratrum,
 Imperium felix esse ratumq; potest.
 ILLE novis Ducibus faueat bonus, instilletq;
 Nolle duobus idem, velle duobus idem:
 Sic totus demum status & regionis & urbis
 Faustus, & ex omni parte beatus erit.
 Hoc tu posce DEVM supplex, dabit ille, quod optas,
 Nec precibus nullum pondus inesse sinet.
 Quicquid erit tamen, esto memor Ducis huius & urnam
 Perpete guttarum turbida fonte lava.
 Ipse dies etiam tibi, quo bonus occidit Heros
 Semper honoratus, semper acerbus erit.
 Atq; ubi pubescent variorum flore colorum
 Prata, sinu flores ipsa madente feres;
 Dumq; feres, lacrymis simul indulgere memento,
 Nec gemitum & tristem non iterare sonum.

Iam verò,

*Iam verò, quoniam postremo munere functa
 Deseris egregij tristia busta Ducis:
 Mente precare gemens tota, composita feretro
 Molliter vt sancti Principis ossa cubent.
 Donec, vbi tumulis rediuiua cadauera surgent,
 Corpus in hoc rursus spiritus introeat.
 Spiritus in gremium qui iam cœleste receptus
 Tutus ab insidijs, tutus ab hoste manet.*

A B

IGNATIO TRESSELIO.



VRATISLAVIAE.

IN OFFICINA TYPOGRAPHICA
 IOHANNIS SCHARFFEN-
 BERG.

 c l o . I o . L X X X V I .



Flu 663.

80

ULB Halle 3
003 007 421




Mer 173

VD17

4.5







PARENTATIO
HABITA

IN

ILLVSTRI SCHOLA

BREGENSI, POSTRIDIE EXE-
QUIARVM, QVIBVS AVGVSTA FVNERATIONE
Iusta fiebant Illustris. & opt. Principi, DN.

GEORGIO II. Duci Lignicij & Bregæ:
nocte diem 8. Maij præcedente, intra horam XI.

& XI. Anno ætatis Climacterico maximo LXIII.

vita pie defuncto; Cuius anima sit in manu

DOMINI, memoria verò in
benedictione.

*Adiunctis eidem nuncupatis
CARMINIBVS.*

M. D.



LXXXVI. *+*